

papatus Damasi, qui Liberio successit, usque ad VII Kal. Ian. obitum Zosimi pape XLIII. colliguntur anni LVI et tres menses; totidem anni inveniuntur a secundo anno Valentiniani usque ad XXV. annum Honorii imperatoris, qui est urbis condite MCLXXV. Item ab obitu (!) Zosimi usque ad transitum sancti Gregorii pape LXVI. IV Id. Mart. colliguntur anni CCV menses II dies XVII; totidem etiam anni inveniuntur ab anno XXVI. Honorii imperatoris usque ad secundum annum Foce imperatoris. Item a transitu Sancti Gregorii pape usque ad sextum annum tercii Leonis pape XCVIII. colliguntur anni CXC menses IX dies XVI; totidem etiam anni inveniuntur a secundo anno Foce, quando Sanctus Gregorius transiit anno Domini DV., indictione VIII., usque ad annum Domini DCCCI., quando sexto papatus sui anno tercius Leo VIII Kal. Ian. Karolum regem Francorum coronavit et imperatorem Romanorum esse constituit, indictione IX., cum iam XXXVI fere annos in Francia regnasset. Item ab VIII Kal. Ian. VI. anni Leonis tercii usque ad XIII Kal. Mai. obitum noni Leonis pape CLII. colliguntur anni CCLIII menses III dies XXVI; totidem anni inveniuntur a primo anno imperii Karoli, qui anno Domini DCCCI. in die natali Domini imperator Romanorum factus est, usque ad XV. annum tercii Heinrichi imperatoris, qui est annus Domini MLIV., quando obiit nonus Leo indictione VII. Denique <sup>146)</sup> ab obitu noni Leonis pape usque ad obitum secundi Honorii pape Idus Febr. colliguntur anni LXXVI menses IX dies XXV; totidem quoque anni inveniuntur a XVI. anno tercii Heinrichi imperatoris usque ad quintum annum tercii Lotharii. Componantur ergo simul iste octo summe, scilicet anni LXXIII menses III dies XVII, et CXXXIV anni menses III dies V, et anni CXIII mensis I dies XCIV, et anni LVI menses III, et anni CCXIV menses II dies XVII, et anni CXCVI menses IX dies XVI, et anni CCLIII menses III dies XXVI, et anni LXXVI menses IX dies XXV, et fiunt simul anni MCXVI et dies XXVII a cathedra sancti Petri primi pape XV Kal. Febr. usque ad obitum secundi Honorii pape CLXIV. Id. Febr. His annis si preponantur XII anni menses IX dies XXIV, qui fuerunt ab VIII Kal. Apr. passionis Domini usque ad XV Kal. Febr. kathedram sancti Petri, fiunt MCXXIX anni menses X dies XX a passione Domini usque ad obitum Honorii secundi pape CLXIV. Ecce si recte et diligenter estimantur, quomodo sibi concordant et concurrunt anni Domini et anni Romanorum principum et anni

---

<sup>146)</sup> Die Handschrift hat hier *enique*, offenbar vergaß der Abschreiber, den großen roten Buchstaben einzusetzen.